PAUCA GENERALIA DE HAEMORRHAGIIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Luigi Caotorta

PAUCA GENERALIA

DE

HAEMORRHAGIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS MEDICINAE HONORES

RITE ASSEQUENDOS

PUBLICE LEGEBAT

ALOYSIUS CASTORTA



PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

1840.

Si quibus adficior in praesens animi motus toto corde vellem expromere, frustra propositum finem attingere certe laborarem. Siquidem dum metae, ad quam hucusque tetendi, proximus haereo, et me laetissimae diei gaudium movet, et loci turbat reverentia, et praeteriti cursus labores, et novi muneris obeundi gravissimum pondus et innumerae occupant difficultates. Nec minus ad se mentem atque animum allicit suavis vestrae erga me, Praeceptores amplissimi, benevolentiae memoria, quae certe quousque vita vigeat, in me erit duratura. Quod si dignas vobis universis gratias persolvere minime valeam, inepto mihi, vestrum succurrat humanitas, qua simul ingenii defectus et virium infirmitas suffulciantur, dum judicio vestro nonnulla de Haemorrhagiis breviter supponam.

Haemorrhagiae nomine venit sanguinis e propriis vasis effusio ab *αιμα* sanguis et *ρηγνυμι* rumpo.

Tres partes, principia immediata chemicis dictae, certa proportione congredientes, in sanguine per efficientiam vitalem qua penetratur, uniuntur in massam unam, satis quidem, non tamen adeo fluidam. Movetur haec in circulo per

organismum propriis inclusa vasis, quae, in genere, tribus stratis membranaceis constructa, ea donantur structura ut humorem ipsis concreditum retinere valeant. E corde circulationis centro propulsus sanguis ab arteriis excipitur, quae parietibus firmis una tamen membrana admodum fragili provisae, contractionum atque dilatationum expeditarum ope, cursu rapido ulterius ipsum agunt. Dimittunt canales isti arteriosi ramos per omnes corporis partes, in quarum demum substantia vasa capillaria constituunt, quorum alia ad superficies varias, tum internas tum externas, tum magnas tum minimas, aperiuntur, alia cum illo vasorum ordine intermediorum nomine nuncupato, continua fiunt. Vasa illa capillaria in singulis organis partes quasdam sanguinis nunc secretioni nunc nutritioni inservientes, deponunt, modo quidem nondum determinato, certe tamen nullo alio, quam quod ratione aliqua pateant et aperiantur. Caeterum vasa intermedia tenuioribus utique parietibus donata (etenim a tunica illa interna toto systemati sanguifero communi tantummodo efformantur) aliqua gaudent contractilitate qua humorem contentum propellunt et venis tandem tradunt. Canales venosi tribus constituuntur membranis, externa cellulari, intima serosa, media quibusdam vasculari, multis fibrosa, paucis musculari. Tunica illa media a sanguinis praesentia in actionem ducta, loco contractionis, expansionem offert, per quam lumen ca-

nalis ampliatur et sanguis exsugitur talique pacto ad centrum a quo proficiseebatur iterum propellitur.

Sanguinis et vasorum rationes haecce chemicae, physicae, ac vitales, dum a norma abludunt, inter varia mala morbos quoque generant quos adumbrandos adgressi sumus. Revera haemorrhagiarum causam proximam quaerentes, vel in vasis, vel in sanguine, vel in isto simul et in illis inveniemus. Elementorum sanguinis proportione mutata, et parte praevalente serosa, ipse fluidior fit et ad vasa deserenda disponitur; ex alia parte, oscula illa capillarium quae ex quorundam sententia ad superficies aperiuntur, quin lacerentur, saltem relaxari possunt, vel propterea quod, totius systematis sanguiferi vita ad altiorem potentiam evecta, sanguinis irruentis impetum non amplius sustinere valent, vel contraria ratione ob debilitatem scilicet veram totius systematis circulatorii per quam, vasorum parietibus debilioribus, sanguis, legibus quasi physicis obediens, ab ipsis effunditur. Nominantur haemorrhagiae primi generis *activae — universales*, secundi *passivae — universales*. Dicuntur praeterea *topico — activae* hemorrhagiae quae a vita exaltata alicujus organi dependent, *topico — passivae* si ex vita depressa. Sed possunt praeterea vasorum parietes a vi aliqua externa sauciari, vel a morbo aliquo praegresso corrodi. Hinc alii auctores aliam haemorrhagiarum proposuerant divi-

sionem, quae easdem in *spontaneas* sive *idiopathicas*, *traumaticas* et *symptomaticas* partita est; *spontaneas* compellantes illas quae sine ulla sensibili vasorum alteratione locum habent, *traumaticas* quae a vi aliqua externa, *symptomaticas* quae a conditione morbosa praeexistente producuntur. Verum hujusmodi divisionis, quamvis theoretice verae, adplicatio practica non raro difficilis; dantur enim haemorrhagiae quae absolute nec symptomaticae nec idiopathicae dici possunt, sed unius alteriusque aliquid habent, ita ut fere mixtae compellari possent. Jstius ordinis, ut exemplum adducam, sunt plures ex illis haemoptysibus quae phthiseos phaenomena praecedunt Non semper cum veteribus dicendum *phtisis ab hemoptoe*, nec semper cum Bayle ejusque sectatoribus retinendum haemoptyses a tuberculis produci, sed probabilius ab eadem causa ac ista, non necessario tamen, ortum ducunt, ita ut nec sint tuberculorum genitrices, nec genitae ab illis, sed quasi sorores. Ex aliis partibus spectati fluxus cruenti, alias nobis exhibent differentias. Ratione organi sanguinem fundentis habemus haemorrhagiam cerebralem quae dicitur *apoplexia sanguinea*, haemorrhagiam narium s. *epistaxim*, *rhinorrhagiam*, h. ex viis aeris sive *haemoptysim* vel potius *laringorrhagiam*, *tracheorrhagiam*, *pneumonorrhagiam* juxta organum quod sanguini originem praebet, h. ventriculi s. *haematemesim* vel *gastrorrhagiam*, mictum cruentum

s. *haematuriam* vel *cistirrhagiam* aut *uretrorrhagiam* et sic porro. Distinguuntur praeterea haemorrhagiae in *externas* et *internas* juxta sanguinis effusi originis locum, in *apertas* et *occultas*, *apertas* ubi cruor in lucem editur, *occultas* ubi in aliquo cavo colligitur. Si quantitatem sanguinis consideramus, distinguitur *stillicidium* quando sanguis guttatim, a *profluvio* quando sanguis rivo tenui exit et ab *haemorrhagia* proprie dicta qua sanguis rivo largo fluit. Juxta typum habemus *continuas, remittentes,* et *intermittentes:* juxta numerum individuorum affectorum habemus *sporadicas, epidemicas,* et *endemicas.* In individuo consideratae distinguuntur aeque ac omnes morbi in *simplices, compositas*, et *complicatas.*

Nuper memoratae, aliaeque traditae ab auctoribus, haemorrhagiarum divisiones, plus minusve, omnes tamen pro praxi utiles sunt. Verum omnium utillimam tum ad phaenomenorum aetiologiam assequendam, tum ad aequam curationem instituendam, illam censemus quae ipsas in *spontaneas, symptomaticas* et *traumaticas* partita est, spontaneas porro subdividendo in *topico-activas, topico-passivas, passivas-universales* et *activas-universales.* Quapropter in brevi quam suscipimus phaenomenorum enumeratione, illam divisionem sectamur.

Et prius generatim monendum, quod in haemorrhagiis, phaenomenorum pars non exigua, imo

726

potior saltem initio, ex animi terrore quo aegri ex sanguinis visu et mortis metu corripiuntur, dependant, quodque ita cum symptomatibus morbi propriis misceantur, illaque mutent, ut tum et quando, quamvis semper sit necessarium, medico difficile sit illa ab istis recte distinguere.

Praecedunt haemorrhagias symptomaticas phaenomena morbi causam illarum sistentis, quae phaenomena ut superius dixi non semper manifesta sunt et diagnosim obscuriorem reddunt; praecedit traumaticas externa aliqua vis. Quum vero status virium generalium cum symptomaticis ex traumaticis haemorrhagiis, minime, vel accidentaliter sollumodo nectetur, pauca de illarum phaenomenologia dicenda habemus. Variant symptomata juxta constitutionem individui, juxta organi laesi dignitatem, juxta sanguinis effusi copiam, ejusque jacturae celeritatem. Istiusmodi haemorrhagiae cum ex organica vasorum laesione dependeant, antequam illa, arte vel et ipsa natura tollatur, vel saltem corrigatur, cessare nequeunt.

Primum genus haemorrhagiarum, quas *spontaneas* compellavimus *topico-activas* comprehendit. Praecedunt istas signa congestionis activae in loco ubi fluxus instat, dolor scilicet, calor, rubor, et partis volumen adauctum. Dolor saepe laevis est et potius sensus titillationis vel pruritus dici potest. Sanguis dein fluit laete ruber, phlogisticus, mediocri quantitate; sympto-

mata morbosa, quibus febris frequenter additur sanguine stillante sedantur, et saepe fluxus sua sponte cessat. Ubi autem pertinacius duret vires exhaurit et passivus fit.

Similia phaenomena haemorrhagias *activas universales* praecedunt et comitantur, in eo tamen differunt quod non ad locum unum alterumve concentrentur, sed ad plures simul. Praecedunt hinc congestiones ad organa praecipue superiora, comitantur fere semper febri indolis morbi similis, et haec omnia a profluvio sanguinis corriguntur ita ut ipso silente aeger saepe perfecte sanatus sit. Hi quoque fluxus si diutius perstant in passivos convertuntur.

Harum haemorrhagiarum varietates sunt illae quae frequenter ab auctoribus *erethisticae* compellantur. Fere semper istae locum habent in individuis constitutionis laxioris, dolor est minus intensus ac in haemorrhagiis activis, calor minus amoenus, rubor non adeo vividus. Sanguis fluit majori copia ac in illis, minus phlogisticus, levamen quidem producendo, tamen non duraturum, nam si fluxus paullo diutius protrahitur prostratio virium citissime succedit.

Haemorrhagiae *topico-passivae* a congestionibus praeceduntur praecipue venosis, partium volumen est adauctum, harum functio depressa, sensus gravedinis, nullum vel exiguum caloris augmentum. Sanguis emittitur largior, niger, in frusta pro parte coactus.

Haemorrhagiae *passivae - universales* dependent a debilitate totius organismi, praecipue tamen systematis sanguiferi, et a sanguinis ipsius in dissolutionem nisu. Quapropter symptomata sistunt febribus putridis et scorbuto familiaria. Praecedunt igitur illas, nunc phaenomena febris putridae, nunc scorbuti, nunc morbi maculosi, sine ullo congestionis signo. Pulsus est parvus, mollis, debilis, inaequalis, calor est urens, vires aegri lapsae, facies pallescit, turgor vitalis imminuitur, sudor comparet frigidus, oculus languescit. Fluit sanguis e pluribus simul organis, dissolutus, fluidior, coloris obscurioris, odoris ingrati. Hujusmodi haemorrhagiae vires aegri jam depressas, magis magisque pessumdant, ita, ut fere semper vana sint artis auxilia, et mors subsequatur.

Non diversa sollumodo, immo e diametro opposita cura est instituenda, prouti unum alterumvé assignatorum profluviorum coram habet medicus.

Et quidem in activis universalibus haemorrhagiis quando febrium crises constituunt nisi ex organo nobiliori oriantur, vel nimis copiosae sint, methodus expectativa suum invenit locum. Ubi autem tales circumstantiae non inveniantur, adparatus antiphlogisticus in usum est trahendus, modo mitior, modo generosior. Instituantur venaesectiones et quidem, monentibus viris practicis, in loco generatim, organo sanguinem fundenti vicino, extremitatibus igitur ut plurimum

superioribus, in remoto autem atque e pedibus ubi catameniorum atque haemorrhoidum adest suppressio. Exhibeantur remedia interna antiphlogistica, nitrum, sal. Glaub. pulpa tamarindorum, refrigerantia, uti acidum sulfuricum, tartricum etc. Remedia externa minimae sollumodo sunt dignitatis neque fructum quemdam praestant, nisi organum irritatum immediate demulcendo, uti oleosa et mucilaginosa, aut statum inflammatorium ab eodem derivando. Diaeta adcomodetur morbi indoli phlogisticae. Morbi autem insultu debellato, in dispositionem plethoricam ceu morbi focum erit agendum, quo respectu vix non omnem numerum absolvet diaeta tenuis et vita laboriosa, omissis venaes ectionibus, effectum nonnisi momentaneum praestantibus.

Quod haemorrhagias attinet *topico-activas*, statum irritativum partis sanguinem emittentis et consensualem totius organismi tollendi stat indicatio. Obtinetur primum per hirudines, remedia demulcentia oleosa et similia, per derivantia, uti pediluvia acria, sinapismi, vesicatoria et purgantia. Non raro nimiam organi adfecti sensibilitatem et dolorem, unde congestio suam traxit originem, narcoticis adgredi oportebit. Stimulus demum sympathicus suo modo erit amovendus, status gastricus, remediis solventibus acidis, corrigendus. Altera autem simul statutae indicationis parte per remedia refrigerantia antiphlogistica leniora adimpleta, profluvium ut plu-

rimum silet et nullo ad ipsum sistendum opus est stiptico. Congestiones habituales in hoc quoque casu, recuperata sanitate praecipue erunt debellandae.

Passionibus universalibus, febri putridae, scorbuto, morbo maculoso, remediis internis, excitantibus, tonicis, acidis, est occurendum, summi tamen momenti ad haemorrhagias inde oriundas coercendas, remediorum localium est adplicatio. Spectant huc ea omnia quibus vasa paralytica excitantur ut reviviscant, uti frictiones manuum, pannorum ope, vel etiam cum oleis aethereis, spiritu camphorato, liquore minerali Hoffmanni, spiritu sal. ammon. caustico, institutae. Involvuntur etiam organa, pannis substantiis mox enumeratis, aut fumo ex aloe, myrrha et mastice, imbutis. Hujus quoque generis sunt vesicatoria et sinapismi. Altera remediorum topicorum classis ea comprehendit, quae modo mechanico sanguini effluenti obstant, eodemque simul tempore illius coagulationem inducunt et thrombos efformant, quibus dein orificia hiantia penitus clauduntur. Huc referimus, linteamina carpta, fungum igniarium, amylum, gummi arabicum. Cauteria ex una parte summum organismi renisum excitant ex altera escharas producunt vasa claudentes.

Frigus, usitatissimum hujus ordinis remedium, poros apertos vasorum coarctat, simulque, modo repentino et momentaneo adplicatum, partes for-

titer prompteque excitat. Varia autem ratione in usum trahi potest. Aura frigida sistimus epistaxim; in aliis profluviis efficacissimae sunt injectiones et fomenta cum aqua frigida mera aut aceto commixta, aut denique nitrum et salem ammoniacum solutum continente. Probe tamen attendendum, ut plurimum, frigoris actionem requiri longiorem atque parti immediate admissam.

Substantiae adstringentes, similem ac frigus, nequaquam tamen adeo promptum, exerunt effectum. Hujus ordinis sunt: gallae, radices tormentillae, et bistortae, cortex peruvianus, radix ratanhiae, salvia, terra catechu, sanguis draconis, bolus armena, crocus martis, sulfas ferri, alumen etc. etc. quae in pulveribus adhibentur, fomentis, collutoriis, injectionibus, clysmatibus etc. etc. Acida, vasa non solum coarctant, sed chemicam in sanguine exercent actionem. Adhibemus ex eorum numero, acetum, acidum sulfuricum etc.

Dantur denique alia adminicula, quae adfluxum sanguinis per arterias ad organum a quo editur, impediunt, qualia sunt: tornaculum, ligatio arteriarum, earumque compressio. Ligatio brachiorum aut pedum prope truncum, tantum abest ut scopo suo respondeat, ut potius sanguinem versus organum adfectum dirigens, contrarium efficiat.

Ad fluxus cruentos coercendos qui in congestionibus passivis suas recondunt radices, uno eodemque tempore hisce conditionibus morbosis est

renitendum simulque profluvium sistendum. Prius obtinetur remediis e vasto solventium exercitu depromptis, praeprimis tamen iis, quae amaro-solventia pharmacologis audiunt, quorum princeps Rheum. Alterum praestamus adhibitis remediis, vasa relaxata roborantibus, constringentibus, et jam recensitis. Secale cornutum in metrorrhagia quae hujus ordinis est, fraenanda, efficacissimum, per nervos praecipue uterum adgredi et excitare videtur.

Hac sunt quae de haemorrhagiis generatim coram vobis, Praeceptores praestantissimi, pro ingenii mei tenuitate, dicere habui. Si quid minus recti in disputatiuncula hac invenietis, id mihi, humanitas vestra quae a vera doctrina nunquam sejuncta est, remittat, precor, atque condonet. De caetero Vobis hoc spondeo, in meoque recipio, nullum tempus futurum quo non ego, ubicumque terrarum fuerim, summa vestra in me merita recorder, et talem me societati praestare contendam, qualem decet qui vestris doctrinis institutus ex sacrario medicinae prodierit et studia sua in tutanda hominum salute collocarit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Cerebellum sensibilitatis fons.

II.

Craniometria, dispositionum cerebralium perfectionis gradum, habito respectu constitutionis individualis, nec non qualitatis et exercitii systematis nervei, indicare valet.

III.

Studium consuetudinum animalium, recentes peperit Phraenologiae progressus.

IV.

Vires catalyticae *Berzelii physiologiam secretionum quidquam dilucidare possunt.*

V.

Medico qui nunquam dubitat parum fidendum.

VI.

Omne id quod, vel organum, vel principium organi, vel effectus organi non est, nihil medico est.

VII.

Proprietates vitales (abstractio physiologica) morbis vitalibus (abstractioni pathologicae) originem dederunt.

VIII.

Anatomia pathologica unum e praecipuis medicinae practicae fundamentis.

IX.

Asthma senile nunquam nervosum.

X.

Artuum ligatio tum et quando accessum intermittentium praecavet.